Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36552
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



hospicia habeant. nullas amicicias. Ita accidit qui nullius ingenio se familiariter applicant. sed omnia cursim et properantes transmittunt. Non prodest cibus nec corpori accedit. qui statim sumptus emittitur. Nichil eque sanitatem impedit. quam remediorum crebra mutatio. Non uenit ulcus ad cicatricem in quo medicamenta temptantur. Non conualescit planta que sepe transfertur. Nichil tam utile est. ut in transitu prosit, fastidientis stomachi est multa degustare. que ubi uaria sunt et diuersa inquinant non alunt. Honesta res est paupertas. Cui cum paupertate bene conuenit. diues est. Non qui parum habet. sed qui plus cupit pauper est. Quid enim refert quantum illi in arca. quantum in horreis iaceat. quantum pascat. aut. feneret si alieno inminet. si non acquisita sic adquirenda computat. Quis sit modus diuiciarum queris. Primus habere quod necesse est proximus quod satis est. Sic illum cui non omnia secreta tua audeas credere amicum uocasti. quomodo omnes candidatos bonos uiros dicimus. quomodo obuios. si nomen non succurrit dominos salutamus. Si aliquem amicum existimas cui non tantundem credis quantum tibi. uehementer erras. et non satis nosti uim amicicie. Tu omnia cum amico delibera. sed de te ipso prius. Errat ille qui amicum in atrio querit. in conuiuio probat. Nullum habet maius malum occupatus homo et bonis suis obsessus. quam quod amicos sibi putat quibus ipse non est. Post amiciciam credendum est. ante amiciciam iudicandum. Diu cogita an tibi aliquis in amiciciam recipiendus sit. cum placuerit fieri. toto illum pectore admitte. tam audacter cum eo loquere quam tecum. Tu inquam ita uiue ut nichil tibi committas. nisi quod inimico possis committere. Quid est quare me coram amico non solum putem. Utrumque uicium est et omnibus credere et nulli. sed alterum honestius dixerunt uicium. alterum tucius. Nam